

uel porca pro sola extratione soldos quinque paruorum, et pro uisceribus et interioribus soldos tres paruorum, et pro qualibet bestia minuta duos soldos uenetorum paruorum, eo saluo quod si quis ferret carnes pro sua mensa per mare, soluere non teneatur aliquod dacium uel doanam de uno castrato uel duobus quarteriis bouinis uel medio porco, sed ab inde supra soluere teneatur; et si quod nauigium forense aplicuerit in portu Spaleti non possit ferre pro sua mensa neque aliqua alia de causa nisi primo soluerit doanario doanam supradictam de omni eo et toto quod portare uoluerit; et saluo quod si aliquis Spalletinus uel habitator Spaleti emerit aliquam bestiam grossam uel minutam et uellet ipsam extrahere pro pascendo uel laborando, non teneatur soluere aliquam doanam. Et etiam si aliquis ciuis uel forensis conduceret aliquam bestiam grossam uel minutam in ciuitate Spaleti, causa uendendi ipsam, et ipsam uendere non poterit, licitum sit ei ipsam extrahere per terram ad omne suum beneplacitum et uoluntatem absque aliqua doana uel gabella; et etiam si aliquis Spalletinus uel habitator Spaleti uellet extrahere carnes per mare uel per terram pro nuctiis uel pro festo, non teneatur soluere aliquid pro doana; similiter si aliquis Spalletinus uel habitator Spaleti emerit aliquam bestiam grossam uel minutam et ipsam uellet pro domo sua quod non teneatur soluere aliquid pro doana; saluo quod si ipsam bestiam diuideret cum aliquo, soluere teneatur dacium supradictum. Item omnes qui portabunt pisces per mare uel per terram, pisces maris ad ciuitatem Spaleti uel eius districtum, et ipsos uendiderit uel portauerit domum, debeat soluere et dare octauam partem, siue portauerit in barchis siue in londris; et si incipiet uendere uel portare domum, debeat soluere et dare de omnibus dictam octauam partem, quam octauam partem dicti ciues Spaleti teneantur dare et soluere dicto doanario ubicumque uendiderint tam in districtu quam extra districtum Spaleti. Item quod quilibet ciuis uel habitator Spalletinus uel mercator qui emerit aliquam bestiam grossam uel minutam seu porcina, a columpna que est in confinibus Spaleti citra uel uersus montem sancti Luce et sancti Michaelis et a Clissa citra et ab ecclesia sancte Marie de Ugal et ab ecclesia sancti Petri de Gumao citra uersus Spaletum, teneatur soluere dacium supradictum. De carnibus uero porcinis et lardellis que ueniunt de Apulea uel de Marchia, que uenduntur, uenditor soluere debeat unum denarium paruum pro qualibet libra ponderis; et ille carnes porcine que ueniunt de Dalmacia per mare, que uenduntur, uenditor soluere debeat soldos quinque, saluo quod si aliquis Sclauus conduxerit uel aportauerit carnes porcinas salitas ad ciuitatem Spaleti, quod non teneatur aliquid soluere pro doana, sed ille qui emerit dictas carnes et ipsas extrasserit uel uendiderit, teneatur soluere dacium supradictum, eo saluo quod si uellet ipsam